Osculum Pacis.

CONCIO

AD

CLERVM

Habita

EXONIÆ,

IN

Trien. Visit. R. P. ac D. D.

JOS. HALL

Episcopi Exon.

Ab *H. B.*

LONDINI,
Per J. Raworth pro N. Butter,
Anno Dom. 1641.

Ampliſsimo viro
THOMÆ LVTTRELLO
de Dunſtri Caſtello Armigero
Cuſtodi Limitis, Cuſtodi
Pacis Pacem &
fælicitatem.

PRorſus obſirmabar in prælum, nec paciſci mihi libuit cum Thuris piperiſq; venditoribus. Sed vide quanti faciam vel approbari à tanto Viro ut es Tu. Siſtunt Aliqui & ſeneſcunt in umbratili illa Majorum Gloria, cum Vappæ ut ſint Indigni genere &

præclaro nomine tantùm Insignes——ne pilum viri boni habeant. Alii Neminem Deorum venerantur præter Æsculanum, & quod habet Orator, nil prorsus aliud curant nisi Agros, nisi Villulas, nisi Numulos suos. Tu Sanguine clarus & Patrimonio, splendidum Nobilitatis ornamentum, accuratiorem Rei literariæ suppellectilem Tibi comparasti. Magna tua est in Theologiæ Candidatos propensio, & de illis benemerendi Studium. *Diligis Gentem nostram*, ut Illi de

de Centurione. Et quos ex alto ſolet deſpicere Superba Ignorantia, *hos* Tu fovere ſoles & ornare. Quare præmiſi Tibi tenue hoc Officii erga Te mei teſtimonium. Reliqua brevi ſubſequentur. Subſequentur inquam ſi in tam luctuoſa Rerum omnium facie Locus aliquis Libertati relictus erit, & licebit eloqui. Deus Op. Max. Te, Tuos, Tua felicitet. Vale.

Amplitudini tuæ
addictiſſ.

HEN. BYAM.

PErlegi Concionem hanc apprime elaboratam ad Clerum Exon: habitam, eamq; dignissimam arbitror, ut in publicam Ecclesiæ utilitatem excudatur.

Ex Aedibus Londin. die Nov. 5. 1640.

JOHAN: HANSLEY
R.P.D. Episcopo
Londin: Summo
Angliæ Thesaur:
Sacel: domesticus

OSCVLVM PACIS.

S. MAR. cap. 9. v. ult.

Habete in vobis-ipsis Salem, & Pacem habete inter vos mutuò.

POST angustias persecutionum, amissam libertatem, vulneratam existimationem, post improperia & suggillationes. Sancti *Matth* 5. sequitur, *vos estis Sal.* & hîc post detruncationem manus,

abſciſsionem pedis, & vulſuram oculi, ſequitur Textus, *Habete Salem.* Ita formati ſumus a natura, ut faſtidium pariat omnis Difficultas. Iacturas & diſpendia aliorum tanquam ex Arce intueri cupimus ipſi Lucriones & incolumes. Nec patitur ferrea hæc Generatio Mammoni emancipata Apoſtolicam illam perfectionem de Relinquendis omnibus propter Chriſtum. Sin autem ad illud *Bernardi* deveniendum ſit *ure, ſeca*: Si dilanianda caro, dilaceranda oſſa, ſi carcer, ſi equuleus, ſi Tortor: *pellem pro pelle*, ut juratus ille noſtri generis inimicus, cum Titanibus ipſo Olympo bellum indicimus: architectabimur voluptates, & ruat Cœlum. Et tamen *qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur Chriſtum*, non eſt Chriſto dignus; & qui
tt. 10. præſenti vitæ conſulit, perdet futuram? *Durus ſermo*, levidenſe ferculum

lum pro collapſo ſtomacho, & tam inſipidum eſculentum depoſcit Salem. Nihiloſecius ſi pro grato velimus nos haberi Sacrificio, *Igne*, ſumus ſaliendi, quomodo Omnes *Sale* Oblationes in Lege Moſaica. Et quod Pſalmiſta, Tranſeundum per ignem & aquam ut educamur in loca refrigerii. Et ſiqua ſpes eſt perveniendi ad Cœlum in Curru, igneus erit ille Currus, quomodo Eliæ. 2 *Reg.* 2. Sanctis *Paulo & Barnaba* atteſtantibus, *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum dei.* Veriſsime tam acetoſa, qualis hæc, Doctrina dubias animas & inſtabiles anhelare faciet, ſi non referre pedem, cum illis in *ſexto Sancti Johannis, verſ.* 66.

At ego aliam vobis *Salituram* commendaturus ſum, eamq; *igneam. Ignem veni mittere in terram S. Luk.* 12.

Sanam ſcilicet doctrinam, & ſinceram verbi promulgationem. Quare legimus Spir. Sanctum apparuiſſe in forma Ignis, *Actorum* 2. qui conſumere ſolet & decoquere, perpurgare, illuminare, & quod magis accedit ad naturam Salis, a tabe defendit & putredine. At Textus.

Habete in vobis Salem.

Salem, non *Ignem*, ne plus ſatis incaleſcatis.

Et tamen *Igneam ſalſuram*, ne infatuati ad nihilum valeatis.

1 *Salem*, ne paraſitemini ſeu palpetis.

2 *Pacem*, ne admordeatis.

Vtrumq; in Textu, Salem, Pacem.

1 *Salem*, ἐν ἑαυτοῖς.

2 *Pacem*, ἐν ἀλλήλοις.

Salem ad exſiccandum fœces peccati.

Et tamen *Pacem* ut omnia fiant in ſpiritu lenitatis.

Pri-

Primum, excitat remiſſos & jacentes.

Secundum inſtruit, dirigit excitatos.

Habete ſalem, clamitate, intonate, coarguite, corripite, ſed ὡς ἀδελφούς, ſed omnia in *pace*, omnia propter *pacem*. 2. ad c. 3.

Scriptum eſt, S. *Matth.* 5. *Vos eſtis ſal terræ*, ac ſi dixiſſet ſalvator. Eſtote Mundo quod ſal eſt carni. Æternitatis eſtis ſalitores (ut loquitur *Hilarius*) condite ergo; voce & vita exſiccate humores carnalium operum, antevertite fœtoribus, compellite ſapiant quæ ſurſum, nam eſtis Sal. et Textus. *Habete Salem.*

Imo illud *Habete* non ſufficit, nec *Habete pro aliis.* Quamvis Candelæ inſtar conficiatis vos et conteratis, nihil non agentes pro conditura Hominum et ſalute: ſed *Habete in vobiſipſis.* Quomodo poſtea Apoſtolus,

Attende tibi & doctrinæ nec ſis
————vice cotis acutum

Reddere quæ valeat ferrum exors ipſa ſecandi. *Judas* ejicit Dœmonia: *Balaam* vaticinatur; & multi multas virtutes poſſunt edere in nomine Chriſti, quibus nulla pars, ſeu ſors in meritis Chriſti. *Habete ergo Salem in vobiſ-ipſis*: nec ſatis ſit cum Scopulo vel Indice aliis monſtraſſe viam, ſed ſitis prævii, ſed ductores. *Exemplaria eſtote fidelium in ſermone, in converſatione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in puritate.*

Poſt ſemper primo loco appoſitum *Salem* ſequitur *pax* tanquam ferculum. *Habete pacem*: imo illud, *Habete* de vi verbi diminuit ἐιρηνεύετε, id quod *Beza* alicubi convertit *in pace agite*. Noſtrates etiam *In pace degite*. Denique ut oportet *pacem* habere, & τὰ πρὸς ἐιρήνην agere. Ita et *Habere inter*

nos

nos mutuo : ſive prolatare quis velit ad *Domeſticos fidei*, ſive reſtringere ad Legatos illos quorum ſpecioſi pedes eò quod evangelizent pacem. Si fieri poteſt quantum in vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habete. Ad minimum εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. Rom. 12. 15.

Semel et ſummatim. Habemus hic facultates et πλοῦτον ἱκανὸν *paſtorum* : Habemus etiam utilitatem et profectum Auditorum. Quales in Nobiſ-ipſis. Quales erga alios, ut et nos-ipſos ſervemus, et eos qui nos audiunt.

——*Hæc meta, hic terminus eſto.*

In 2. *Levit.* Tres Regulas ſtatuat Deus Sacerdotibus Sacrificaturis obſervandas. *Primo*, non aſſumeret *Fermentum*, cujus ea eſt natura ut inficiat et ſubacidam reddat totam Maſſam. Quare Salvator impiam et contagio-

sam phariſæorum doctrinam, quorum Scholia & commenta (verè cõmenta) ſæpius corruperãt Legem Dei et violaverant *Fermentum* appellat.

Nec Acredinem ſolum inducit, ſed et turgere facit et intumeſcere. Ergo Chriſtus S. *Mar.* 8. videte (inquit) et cavete a Fermento Phariſęorum, quorum eò uſq; glorioſa ſeſe extulerat arrogantia ut omnibus aliis detraherẽt, ſuarum laudum præcones acerrimi.

Secundò interdictum eſt *Mel*. De nullo melle adolebitis. Sane quamvis dulceſcat in Ore, amareſcit in Stomacho et Choleram gignit. Choleram dico, illu n illum ſuaviſsimæ pacis implacabilem inimicum. Et probabile eſt *Salamonem* id recogitaſſe, Prov. c. 25. *Mel multum cõmedere non eſt bonum.* Dehinc quamvis ea ſit natura Mellis ut computreſcere corpora haud facile ſinat, et multi eo ſolum nomine (teſte Cœlio)

Cœl. ant. l. 24. c. 3

Cœlio) evaſerint Polychronii quod *Mellis* cibo aſsiduè uterentur. Cedat tamen neceſſum eſt antiquo illo *Amicitiæ* ſymbolo, cedat divino *Sali*, cujus unius ope putreſcentia corpora per ſecula aliquot quaſi ſarta tecta perduraverint. Ib. lib. 1 cap. 1.

Et hîc admonendus eſt mihi qui foris eſt Gnato, ille glabræ linguæ pellicator, admonendus eſt, ut pro *Melle* apponat *Salem* Convivis ſuis. Deſinat per Chriſtum conſuere pulvillos ſub axillis populi, loqui placentia, promittere *Pacem*. Non *fermentum*, non *Mel* in *Moſaici* Sacrificiis aſſumere licuit ſed *Salem*. *Quicquid obtuleris Sacrificii Sale condies. In omni oblatione offeres Sal.* Eze. 13. 1 Iſai 30 Hierem.

Vos optimè noſtis quantilla ſit differentia illa veteris novique Teſtamenti: et quod Zeno ille dixit de *Artibus*, *vetus* compreſsis digitis pugnoque

noque ſimile : *Novum* palmæ vel manui dilatatæ. *Vetus* eſt *novum* involutum, complicatum. *Novum* eſt *vetus* replicatum, expoſitum, et enodatum.

In Ceremoniis illis planè videbimus eſſe aliquid infra corticem, nec ita inſtitutæ erant, ut in tempore penitus interirent, (cum nec umbræ adventu ſolis evaneſcant) ſed ſignificativæ erant, ſed prænunciæ. *Mortuam* dicimus illam Legem in quantum Lex; ſed vivit, efflioreſcit tanquam Dux & χειραγωγος ad Chriſtum adducens.

Levit. in. *Theodoretus* ait ideo præcepiſſe Deum Sacerdotibus Sacrificia Sale conſpergenda, ut inde diſcerent *dijudicandi Artem*: hoc eſt Diſcretionem et prudentiam ſuum cuique tribuendi: Deo optimo maximo maximè optima offerendi. Et hoc (inquit) Sale carebat Sacrificium *Cain*, non excerpſit, non ſelegit

legit quæ oblaturus erat, non quomodo frater ſuus, qui de primogenitis, & de Adipe obtulit, ſcilicet *De optimis optima*, ut *Chryſoſtomus*: ſed *quacunque* quicquid prius occurreret, & ille facilius comparceret. Quare ad coercendam hanc Mortalium ſordiam, tenacitatem et ſordes, Deus in Lege ſua edixit *Salem*, Hoc eſt diſcretionem et judicium, ſine quibus ſatua redduntur et inſipida quanta quanta Sacrificia.

Et hunc Ego Salem vobis commendaturus ſum, Apoſtolicam illam ſapientiam, cœleſtem philoſophiam, ſolertiam officio noſtro congruam & congruentem ne Convivæ noſtri aut dimittantur iejuni aut paſcantur ſiliquis.

Habete Salem.

Mare ſuppeditat, terra ſuggerit Salem copioſè. Quamvis *Hilarius*: Sal, inquit In S. Mat. can. 4.

inquit, ut arbitror Terræ nullum eſt. Quomodo ergo Chriſtus Apoſtolos ſuos *Sal Terræ* nuncupavit? Sed pace tanti viri, *Plinio*, Chromatio, experientiæ credendum eſt. Sicut e Salinis ita et Salem foſsilem habemus. Recolo igitur. Mare ſuppeditat, Terra ſuggerit Salem copiosè. Sal autem ille Diſcretionis & Iudicii quem *noſter Ordo* poſtulat & Officium optandum alicubi facilius quàm inveniendum eſt.

Habemus, id quod Antiquitas noluit, expuit, condemnavit, Habemus nonnullos ad Sacros Ordines ſine Titulo, ſine merito promotos Adoleſcentes, inflatos, barbaros. Sed nihil eſt audacius Ignorantia. Quam iſti pulchræ virtutis peſsimi pictores! Nazianz. 2. Pet. 3. μεταποιοῦντες τῶ βήματος, δυσνόητα in Scripturis inflectunt & detorquent perditè. Iſti Claſsicum canunt cum Bichi-

&

quoniam omnes aditus ad Aſcen-
um ſibi præcluſos vident, Reliqua
es eſt in turbidis Aquis expiſcandi.
i venenum Cleri lues Eccleſiæ, vel
placeet, Homines præteneræ Con-
cientjæ (quamvjs hoc vulgari no-
mjne contentus vjx ſim) Iſti jnquam,
ferre non debent, perpeti non poſ-
ſunt *Pallium Sacrum* Epiſcopi, ſuper-
pellicium Presbyteri, Anulum, pi-
leum, et multa alia Antiquitatis ſym-
bola, ſint licet prorſus innocua, non-
nunquam ſignificativa, ſæpiſſimè
ſplendida ſigna, addo et neceſſaria
Graduum, Ordinum, et Hierar-
chiæ in Eccleſia Chriſti. Verbo quæ
dixit *Nazianzenus* de Diſcordia, in Tom. 1.
hac hominum calluvie hîc habe- Orat 7.
is. *Hoc illud eſt quod u: plurimum mem-*
bra divulſit disjunxit fratres, urbes tur-
bavit, furiavit populos, Nationes arma-
vit, Reges, Sacerdotes, parentes excitavit,
&c.

&c. Hîc apud ſe ſunt. Hîc dominan-
tur. *O Latera!* nil videmus niſi Sa-
lem. Imo quod Rex ille *Ezræ.7.* Ar-
gentum, triticum, vinum, omnia in
numero, pondere et menſura: ſed Sa-
lem ſine menſura dedit. Iſti Salẽ ſug-
gerunt, Maſſam ſalis, ſed amarulenti,
rancidi, infatuati, et præterea nihil.
Sed mittamus hos aliquantulùm.

Ad vos me converto.

——Quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia
Titan.

Qui et Salem habetis, & inſul-
ſos plebis mores Sale veſtro con-
dire ſoletis. Qui voſ-met inſtar Sali
eliquatis, et more Candelæ conficiti
ut Gregem vobis commiſſum a tab
defendatis, e tenebris Ignorantiæ e
ruatis, et tanquam puram et caſtam
Virginem ſiſtere Domino veſtro va-
leatis

eatis. Vos noſtis et agnoſcitis illud *Chromatii, Sal Terræ indiſcrete omnibus inſeruit.* Regi, ſubdito, Diviti, pauperi, ſervo Domino. Sic et cœleſtis ſapientiæ verbum omnibus eſt ad vitam neceſſarium: nam omnes egent Gratia Dei, &c. In 5. cap. S. Matth.

Imperii veſtri terminos, vel, ſi vultis, *Miniſterii*, calletis optimè: pax, pax non erit vobis pro Themate. Mercenariorum eſt illa provincia et Palponum, qui cæmento rudi et inſullo parietes obducunt. Quare comparatis et *virgam Diſcretionis & Manuam dulcedinis*, cum S. *Gregorio*. Et Sermo veſter cum Gratia ſemper et Sale conditus eſt, et ſcitis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere: *Facto ejus, ſi verbis tacuerit*, ut *Anſelmus*. Comprobatis dictum illud (licet *Ianſenii*) *non opus eſt multo Sale ſed efficaci*: virtus concionis non conſiſtit Moral. li.

ſiſtit in verborum multitudine ſe
pondere. Tenetis illud *Sancti Hilar*
S. Mat. *Sal in ſe uno continet ignis & aquæ el*
n. 4. *mentum*, & eſt revera *unum ex duo*
bus: Hoc eſt, quid tertium ex utroq
coalitum. Eſt Aqua, ne plus ſatis in
caleſcamus; eſt Ignis ne tanquam fri
gore obtorpeamus. Qui Salem ha
bet; *Omne tulit punctum.* Ergo, *Ha*
bete Salem.

Sed & illud *Habete* (ut diximus
non ſufficit: nec *Habete pro aliis*: ſe
Habete in vobiſ-ipſis. Audiſtis mod
quid Apoſtolus præcepit ſuo *Timo*
theo, *Attende tibi & Doctrinæ*. Simil
illud eſt quod Epheſinæ, Eccleſiæ
Presbyteris edixit diſceſſurus. *Atten*
Act. 20. 28 *dite vobis-ipſis & toto gregi in quo vos*
Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos. Vo
biſ-ipſis & toto Gregi. Ego ſolum di
cam quod S. *Ambroſius* & ſuis verbi
De dig. acerd. c. 1 dicam. Non mihimet prærogativam

Scien

ſcientiæ, ſi hæc meis conſacerdotibus Charitatis intuitu prærogem, vendicabo: aut vitæ perfectæ me eſſe profiteor, cum de vita perfecta alios moneo. Sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, ſimul cum illis quæ, loquor, audiam. Et paulo poſt, Quod ſumus profeſſione, Actione demonſtremus: ut nomen congruat Actioni, Actio reſpondeat Nomini, ne ſit Nomen inane & Crimen immane: Honor ſublimis, vita deformis: Deifica profeſsio, illicita Actio: Religioſus Amictus, irreligioſus provectus: Locutio Columbina, & vita Canina, &c. Cap 3.

Idem alibi. Non agnoſcent ſuperiorem Conſilio, quem vident inferiorem Moribus. Imo ipſe Orator ex naturæ promptuario non dubitavit dicere, Nihil minus ferendum eſſe quam rationem vitæ ab alio repoſcere eum qui non poſsit ſuæ reddere. De Offic. In verrem

Quare nos colligamus, & qui ſimus, & quid facere debeamus, conſideremus, ut homines nos non ſolùm audiant, verumetiam libenter ſtudioſéq; audiant. Legantur Conſilia noſtra non in verbis tantùm, ſed in Moribus. Et quod *Nazianzenus* de Magno *Baſilio*, *Doceamus vel tacendo.* Denique ut Ille, *præbeamus nos viros Bonarum Artium, Bonarum partium.*

Orat. pro l. Cælio.

Sinite Monitorem.

Qui monet ut facias quod jam facis, ille monendo
Laudat. —— Ita præconem habetis Laudis veſtræ, non calumniatorem ſeu incuſatorem ſocordiæ.

Sed ad alteram penſi partem contendendum eſt. *Habete Pacem.*

Non immeritò queritur Magnus Ille Auguſtinus, *Habere multos linguam auream & cor ferreum.* Et clariſsimus *Ille Clarevallenſis Abbas, non pacidicos, ſed pacificos commendari;*

non

non blaterantes Pacem ſed actitantes Coronam vitæ reportaturos.—— Quoniam iſti *primum* & *ultimum*, *ſalve* & *vale*, Epilogum illum diſcedentis, ac etiam Exordium redeuntis Chriſti penſitant & meditantur *pax vobis*.

Profectò pax eſt διόσδοτον ἄγαθον ut Elias Ille. Et Cyrillus *Diſcordiam* nil aliud eſſe quàm *Mortem* meritò profitetur. Sed *Duplex* eſt *pax* & neutram planè volumus. *Pax Impiorum* & *pax cum Impiis*. Hanc periculi plenam, Illam inſaniæ videmus. Hanc dubiam & culpabilem, Illam alteram odioſam & deteſtabilem.

Apud N
zian. to
I. orat.
tom. 4.
Ep. 7.
Cler. C
ſtant.

De *pace Impiorum* quid dicemus? Illi nuſquam Gentium magis ſunt Inquilini quàm domi apud ſe. Et ſiquid Gratiæ fidei-ve habeant (quod non poteſt non eſſe perexiguum) tantillum id facilitati & Clementiæ aliorum, non Conſcientiæ

propriæ aut rebus benè geſtis aſcri-
bendum eſt. Flagitiosè vivunt & ſe-
curè; etiam ſponte obcæcati & ipsâ
Senecæ puella cæciores non cogi-
tant: imminentia mala & calamitates
brevi adventuras non proſpiciunt.
ſp. ad
. Gall. *Amant* (inquit Proſper) *languores*
ſuos, & pro ſanitate habent quod ægro-
tare ſe neſciunt. Tales expergefacere,
excitare non contendimus. Cauté-
rio reſectam habent Conſcientiam,
cui precioſiſsima malagmata mede-
ri nequeunt. Formam hîc quandam
videmus *Pacis* ſed fucoſæ, brevis &
ic. orat. perluctuoſæ. Imo quod Ille *Stupor*
o domo *non virtus eſt.* Nil magis diſsidet à
a. pietate quàm Cor lapideum. Hîc ha-
bemus illud Hieremiæ *pax pax & non*
pax. Non illam Salvatoris pacem
relinquo vobis. Pacem illam meam
do vobis; non illam Sancti Pauli
(Dei dicerem) *quæ omnem ſuperat in-*
tellectum, ſed qualem Mundus dat
fallacem,

fallacem, vanam, brevi perituram.

Quare *Habete pacem*, ſed non Mundi. Nec illam *Impiorum*, nec hanc cum *Impiis*, de qua modò dicturi ſumus.

Non tollo penitus omne conſortium aut commercium etiam cum ſceleratis & flagitioſis hominibus. Alioquin ſcilicet è Mundo exeundum eſſet (ut Apoſtolus ad Corinthios) *Itaque non ſine foro, non ſine macello — cæteriſque commerciis cohabitamus in hoc ſeculo. Navigamus & nos vobiſcum, & militamus & ruſticamur & mercamur. Miſcemus Artes, opera noſtra publicamus uſui veſtro.* Ita Tertullianus Ad Gentes. 1 Ep. 5. Cap. 42.

Imo adſumus illis, & adſumus in conventu frequentes, ſed quomodo Proſper; *Spe correctionis, non conſenſu malignitatis.* Plus dico, Amamus. Sed *Gnari naturam errantem dividere à*

vitiis. Omnia suscipienda, peragenda *Amore compassionis non Approbationis. Quantum ad sustentationem naturæ non ad fomentum Culpæ*, ut Aquinas. Si fieri potest (inquit Apostolus) quantum in vobis est cum omnibus hominibus in Pace degite Quantum scilicet proposito vestro & fidei vestræ convenit; ut Origines. Quantum Dei Gloria, professio nostra, & Religio Christiana patietur. *Habete Pacem.*

22. q. art. 2. ad

Ep. ad Rom lib. 9. p. 12.

Nihil hîc mihi de exterraneis calamitatibus dicendum est, & quomodo *Equus* ille *rufus* jamdiu exiit ferociens citatis gressibus, cujus Moderator districto Gladio *Pacem* è terris sustulit. Imo quod *Abrahamo* accidit conflagrante *Sodomâ* intueri possumus fumum vicinarum Regionum ascendentem sicut fumum fornacis, *Vrbano* illo alicubi folles arripiente scintillas sævitiæ & feritatis

susci-

ſuſcitante, inflammante. Sed hoc nomine, ut multis aliis, maximas tibi Omnes gratias agimus, *Ampliſſime præſul*, majores etiam habemus, quod tantam — *Inurbanitatem* ſuggillare, contundere, oblidere non dubitaſti.

Sed mittamus exterraneas illas Calamitates, quamvis etiam ex illis uberimam nobis exultandi, ac etiam Gratiarum agendarum Segetem comparemus. Cum videamus tanquam jamdudum decantata illa Troiæ incendia, Aedificiorum ſubverſiones, Agrorum depopulationes, Virginum ac Matronarum ſtupra, promiſcuæ plebis trucidationes, Gladiis & incendiis undequaque truculenter graſſantibus.

Nos interim — *O nos fœlices!*
— *Bona ſi ſua norint*
Angligenæ —

Nos ſecurè conſedimus ſub vite noſtra & ſub ficu —

—Et Deus obtulit
Larga quod ſatis eſt manu.

Filii noſtri ſicut plantæ generoſæ, filiæ ſicut anguli politi in ſtructura Templi, Promptuaria plena, oves feraciſſimæ, Boves præpingues, nulla irruptio, nulla eruptio, denique nulla querela in plateis noſtris. Beatus populus cui ita eſt. Beatus populus cujus Iehovah eſt Deus. Attamen Nos inter Nos officium illud *Pacis* & *Concordiæ* exequi & tueri debemus.

Habete pacem inter vos mutuo.

Sic ſane. Nihil Mortalibus à Deo immortali præſtantius dari, nihil ab ipſo homine optabilius expeti, quàm *pax*, poteſt. Sed quæ *pax* illa erit? vel quomodo pax cum, ut Jehu, *Scortationes Iezabel & veneficia ejus abundent plurimum?* Cum Præpotentes & Subdoli, Opulenti & Vulpini, Venator Nimrod & veterator Achitophel fratres ſuos ineſcare, prædari,

&

& obruere allaborent?

Ita *Inimici hominis domeſtici ejus.*

Et non tam extraneus ſeu tranſmarinus hoſtis aliquis pertimeſcendus eſt, quàm ſint illi, quibuſcum vivimus & victitamus, præcavendi. *Suffitum* illum qui *Veſpaſiani* matulas edulcavit pro tam grato habemus thymiamate *ut omnem arbitremur quæſtum eſſe pietatem.* Et *Vectigalia* pro Diis colimus & veneramur.

——*Sic pars viliſsima rerum*
Certamen moviſtis Opes.——

Atque eò inſaniæ proceſſit pars hominum maxima ut ſeſe emancipare non vereatur *Generationi* cujus *Dentes ſunt* Gladii, & *cultri Molares ejus*: ſeu *Sanguiſugæ* cujus *duæ filiæ* nil niſi *Affer, Affer*, clamitare didicerunt. *Bulbus* aliquis ſeu *Stalenus* tertiam Hæredii partem deportabit, vel altera illa Reipublicæ peſtis. Prov. 30. 14. 15. Cic.

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

hirudo. *Fœnerator* potius quod reliquum eſt *prædiorum* deglutiet, quàm quis Alicui in Aliqua re cedat, quàm ulciſcendi libidinem remittat, quàm fraternè agat & candidè. Sed moroſè, injuriosè, crudeliter omnia. Ita non poteſtis dicere *Pax huic domui,* an. 10. aut *Pax Dicta* erit, *non Data* ut S. *Hi-* S. Mat. *larius.* Quoniam ad vos revertetur, quibus dictum eſt, *Habete pacem inter vos mutuò.*

Quare, *Ad Aream Eccleſiæ* accedite, & ſiqua ſpes Pacis & Concordiæ in *Loco Sancto* commoretur, ſtudioſè diligenterque circumſpicite. Videte mecum ſi Ἀθεία & *Impietas* ſacra *Majorum Monumenta* cum vi & impetu non harpagaverint. Si *veneranda patrum Donaria* violenter non arripuerint. Si *Auguſta* & *ſacrata Pietatis Legata*, immunitates & privilegia non deturpaverint. Si ullum ſit Officium tam ſanctum atque ſolenne, quod

quod incredibilis non-nullorum Avaritia comminuere atque violare non eſt auſa.

Ita, *Nobis quicquid potuit vis, & injuria, & ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, diſſipavit.* Cic. Or poſt Re

—*Fuit hæc ſapientia quondam publica privatis ſecernere, ſacra profanis.* Horat.

At hodiè *Canes venatici* odorantur, venantur, devorant omnia. Ipſa *Delubra* (inſtar *Verris*) depeculantur. Atque *Ornamenta Templorum*, quæ non ſolùm *viſere* ſed & *venerari* Patres noſtri ſolebant, auferentes, *Sua* facere, hoc eſt, *exaugurare* non verentur.

Nemo mihi poſthæc de *Appio Claudio, Fulvio Cenſore, Pyrrho Rege*, aut *Q. Cepionis* exercitu ad Oppidum *Tholoſanum* renunciet, quorum nefaria facinora inſtans & memorabilis ultio ſubſecuta eſt. *Multis noſtri Sacrilegiis Occaleſcunt.* Vindictæ dilatio Lactant. 2. c. 8. A. Gell. 3. cap. 9.

audaciores

audaciores reddidit, adeo ut omnes mortales compilationis & Impieta-
. In Ver. tis jam non *Veſtigia*, ſed ipſa *Cubilia* videre poſſint.

Sam. 10. Quid dicam de Reſectione veſtium ad nates, & *Ammonitica* barbarie? Quid de Invidentia illa & Odio pluſquam *Vatiniano*, quo tanquam Tempeſtate abrepti quidam Homines, inſaniunt, inſurgunt, inſectantur Juſtiſſimas Reverendorum Præſulum Juriſdictiones & Cenſuras? Amplitudines Baſilicarum & proventus? Geminatam Graduum mercedem, Ge-
Drat. pro oſc. A-ner. mina Parochorum Sacerdotia? Adhæc, poſt multa vulnera *C. Fimbriæ Scævulæ* Diem dicit quod non totum Telum corpore recepiſſet. Tantillum id præſidii quod nobis ad commodè vivendum ſupereſt, & quod multis (proh. dolor!) locis conſiſtit in tenuioribus *Salariorum* Reliquiis, hoc eſt *raris* poſt copioſam meſſem Spici-

legiis

legiis: Tantillum id ſatis ſuperque judicat Invidia. Imo & egregii iſti *Decimatores* expectant gratias: & nos habemus; ſed quales olim *Romanis Antiochus* Rex, cum magna Regni parte cedere juſſus eſt. Benigne, dixit, ſibi à Populo Romano eſſe factum, quod nimis magna procuratione liberatus *Modicis Regni terminis uteretur.* Orat. pro Deiotar.

Profuit olim dicere *Civis Romanus ſum*, & Apoſtolus *Paulus*, *Act.* 22. huic *legi Porciæ* nonnihil debuit. Sacerdotum Indulgentiæ longè plures erant, & multò æquiores, ſi ad Patrum Conſilia, Regum Diplomata, & ipſas Orbis Conſuetudines provocare liberet. Hoc ſolùm dicam, non eſt ulla ſub Cœlis Natio, non eſt Populus aliquis, quem magnus ille Mundi Oculus ſuo perluſtret ambitu, non eſt Ethnicus, non eſt Mahumetanus qui ſuos non revereatur Sacerdotes, qui eoſdem

eoſdem in magno non habeat honore & admiretur. Cum illos ipſos pro quibus nos quotidie oramus, quibus *Pharmacum* illud Animæ & Corporis Sacroſanctam Euchariſtiam porrigimus, quorum Saluti pro viribus conſulentes, ad multam ſæpe noctem evigilamus, quos volumus & cupimus, æque ac noſmetipſos incolumes & Regni Cœleſtis cohæredes: Illos, inquam, ipſos, obtrectatores famæ, Direptores præſidii, perturbatores Pacis noſtræ habeamus.

Veniamus igitur ad *Tribum* (ut dicitis) *noſtram*; Hoc eſt ad clerum, & Legatos illos quorum ſpecioſi pedes eò quod evangelizent *Pacem*. *Pacem* in Chriſto, Pacem Conſcientiæ & Remiſſionis. Et videamus, num Legati ipſi habeant hanc noſtram *Pacem*, *Pacem Concordiæ* & *Converſationis*. Num ita in Pace Chriſto ſerviant, ut grati ſint Deo & probati homi-

hominibus, num quæ ad *Pacem* faciunt, ſectentur & mutuam ædificationem.

Habete Pacem inter vos mutuò.

Quæ Deus conjunxit, Homo non ſeparet. Habete Salem, Habete Pacem pari paſſu ambulent. Sal ſymbolum eſt *Amicitiæ* (ut Cælus) unum ex multis coalitum Aquis. *Pax* filia ejus, unum ex multis coalitum Animis. Lib. 12. c. 1.

Sed dic age quid fiet cum Vulpibus illis quæ faces in caudis portant? Capitibus licet disjunctæ ſint & diſcriminatæ Sententiis, concinere tamen & quaſi conſpirare in Eccleſiæ tranquillitatem videntur. *Manaſſes Ephraim, Ephraim Manaſſem, ſimul iſti contra Judam. Qui Primus* in acie Exercitus & procinctu ſtat, cum juratiſſimus ſit Hoſtis, & aperto Marte præliari conſueverit, minus habet periculi, minus faceſſere nobis negotii poteſt. Cum

Cum *Circulator* ille Pontificius Universalem requirat Obedientiam ſub *Anathemate*; hoc eſt æternæ Salutis diſpendio. Cum *Veros* adulteret Patres, aut ſupponat *Spurios*. Cum ſolvat ſeu liberet Subditos Legibus, Iuramentis, atque aliis quibuſcunque Religionis aut communis vitæ *Vinculis*, facile deprehenditur *Cujus* ſit, ipſa vox prodit, & qui non talpa cæcior, hunc *Minorem* natu fratrem eſſe & *Tyronem* manifeſtò comperiet. Glorietur de *Vetuſtate*, jactitet de *Apoſtolicis* ſuis *Traditionibus*, & ſub ſpecie tam acceptabili imponat filiis ſuis quos *Vino fornicationis* inebriavit. Nos tamen actutum indagantes Proteum hunc, & larvam detrahentes, eſſe eum (quod *Tertullianus de Praxea.*) *Heſternum* aliquem manifeſtò videbimus.

Sed inſtat infeſtiſſimus ille *Pacis* noſtræ perturbator, & quas eluere

non poteſt ſordes, occulere elaborat. id agendo ipſe *bonus* ut videatur, cum alios mordacitate ſua & contumeliis inquinaverit. Hinc illa *Heſhuſii, Lindani, Prateoli, Boſquieri* & Aliorum. *Lutherum incubo* Dæmone eſſe progenitum: Sæpius fuiſſe colloquutum cum Diabolo, ab eoque edoctum. *Calvinum* Homicidam, virgis inſuper cæſum, & *Stigmaticum* geſſiſſe in humeris inuſtum Galliæ Lilium. *Bucerum* non agnoviſſe *Ieſum* pro *Meſsia*, ſed alium cum Iudæis eſſe expectandum. *Bezam* Epicureum, blaſphemum Scurram, planè Atheum, illos verè beatos prædicantem--- Qui *Metus omnes & inexorabile fatum Subjiciunt pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.* *Angliam* oppletum Beſtiis Saltum Monſtra alere humana ſpecie. Eſſe Nos Bonorum Operum expertes, interim cælitus ſecuros de Salute. Inſignes cum Mezentio illo

Divorum contemptores, hæreticos, furias, omnia.

Atque ita inter Nos & illos χάσμα eſt, & χάσμα μεγα, nec poſſumus illis Dextras dare Societatis. Nulla hîc Pacis conditio eſſe poteſt.

Sed geminæ erant (ut diximus) Voragines ſcopulique Eccleſiæ. Par illud Simile, Par diſſimile. Nihil unquam fuit tam nobis contrarium, tam diſpar ſibi. De *Pontificiis* diximus. De iſtis quid ſtatuendum ſit, videte.

Scimus Omnes quales homines videri volunt & haberi. Sed quia tam acriter nobiſcum dimicant, *De rebus modicis & indifferentibus*, Quomodo ipſi *indifferentes* ſint & *moderati* planè non video. Et tamen *Poteſtatem Regiam*, *Hierarchiam Eccleſiæ*, *Ordinationes Epiſcoporum*, *impoſitionem manuum*, & hiis ſimilia nemo ſapiens in numero *Indifferentium* recenſebit.

De

De cæteris, in Apoſtoli verbis, *Teſtimonium illis perhibeo, quod zelum Dei habeant, ſed non ſecundum ſcientiam.* Quorſum enim illæ *Academiarum* obtrectationes? *Patrum* faſtidia? *Homiliarum* contemptus & deſpicatio? Non Nemo eſt qui Accurata *Antiquitatis* ſcripta pluris non æſtimat quàm *Penicillos*. Qui *Diſciplinam Eccleſiaſticam* humani Cerebelli *inventum* autumat. Qui Sacrarum Precum *Lectionem* Theatro ſeu Ludis Scenicis poſtponit. Qui ementitur (ſit Verbo venia) in ſacros λειτουργίας noſtræ Codices, continere eos *Multas tolerabiles ineptias.* Sed hinc lachrymæ; Hujus Præſultor Turbæ (ut erat oculiſſimus) vidit magnum *Ritum* noſtrorum numerum è *Romano Breviario* deſumptum eſſe. *Pius* erexit *Baptiſteria.* *Adrianus* inſtituit *Superpelliceum.* *Higinus* voluit Baptiſmi Sacris intereſſe *Suſceptores.* *Honorius* T. C.

imperavit *Genuflectionem* tanquam decentiſſimum Statum omnibus ad *Sacram Menſam* accedentibus. Demus omnia. Atque ita *Novus hic* Terminos quos Antiqui Patres poſuerunt non eſt veritus tranſilire. Et *Maiorum* monumenta ipſa canicie veneranda, & quæ Omnes pii in magno ſemper honore habuere, inauditâ arrogantiâ flocci facere non dubitavit.

Atqui Ego ſic ſtatuo Ampliſſ: viri, *Nemini unquam longius recedendum eſſe à Romana Eccleſia, quàm ipſa eadem receſſerit à Chriſto.* Et ad veritatem hujus Concluſionis doctiſſimi viri *Bucerus*, *Gualterus*, *Martyr* nobis
T.C. ſuffragantur. Quare Librum ejus flammis, Autorem ipſum Oblivioni devoveo, Qui maluit *Mahumetanæ Synagogæ* quæ procul, quam *Romanæ Eccleſiæ* quæ prope eſt in negotio *Rituum* & *Ceremoniarum* adhæreſcere.

Et ne in pari ſcelere diſpar ſit conditio,

ditio, idem eſto Judicium de præcipiti illo Homulo: vel ſi mavultis, precamini illi mentem ſanam in corpore ſano, Qui *Ampliſſimum Præſulem* (cujus virtus in cauſa Religionis nunquam contremuit) palam laceſſere non erubuit. *Hookero, Zanchio, Bullingero, Calvino,* nube Teſtium, imo Orbe Chriſtiano Aſſertionem indubiam comprobante, *Eccleſiam Romanam eſſe membrum Catholicæ Eccleſiæ,* infirmum, morbidum, putridum, *Membrum* tamen.

D. H. Exon.

Tract. Iuſtific Z. Vid poſt Iu cium C ſandri. Bul. in pocap. 3 Serm. i 7. Cal. E 104.

Atque Ego non dubito eſſe plurimos in medio Romæ quorum Genua non curvaverunt ſe Baali. Eorum autem qui ceu impetu quodam & torrente opinionum abripiuntur, non idem de omnibus Statuendum eſt. Sed inter *Raſtra & Roſtra,* inter *Plauſtra & Pulpita,* inter Simplicem Credulitatem & affectatam Ignorantiam, inter Stivæ incumbentem, &

V. Surv of the p tended ly Diſci &c.

R. Hook.

magnum illum *Semideum* in Arce Sti Angeli intonantem diſcernendum eſt. Quod ſiquis; tenuiſſimo licet filo, ipſum *fundamentum* amplectatur, huic ego omnem ſpem Salutis præcidere non audeo, aut Januas cœleſtes obſerare. Atque hic ſanè Rivulus non è Charitatis ſolùm, ſed & Veritatis fonte profluxit ac dimanavit.

Abſit, Abſit, Ego pro Impietate Patronus ut prodirem, aut Officium, tam Deo hominibuſque inviſum, in me ſuſciperem. *Romana Eccleſia* ſuos habet nævos, errores, ſcelera. Laborat, & acuto morbo laborat. Sed *Exceſſit medicina modum*. Fere dixeram, nec ſine comprobata Authoritate, Exceſſit medicina Malum. Non eſt hoc inſtaurare Sion, ſed multiplicare ruinas in Hieruſalem. Et egregii iſti *Reformatores* viam Pacis non cognoverunt. Quare videntes & vitantes geminos hos ſcopulos, *inter nos mutuo*

Pacem

Pacem habeamus.

Atque hîc (proh dolor) neſcio quis torrem aggeſcit, & ex ſpecu ac Barathro Diſcordiæ, Spiritum Contentionis excitavit, quem haud ſcio an Quis facile ſedare & ſopire queat. *Hic monſtrat, remonſtrat Alter*, & fortaſſis acrius utrinque quàm par eſt, decertatur. Cum magna certè Animorum vi, necſine ſtomacho ab hominibus alioquin prudentiſſimis res agitur.

Multùm, fateor, arridet mihi illud Oratoris. *Aut undique Religionem tolle, aut ſinſquequaque conſerva.* Quid non debemus facere pro tuenda fide & Pietate? Sed multa ſæpe ferenda, quæ non laudanda ſunt. Multa plus Diſputationis habent quàm Atrocitatis. Multa ad Structuram magis quàm Fundamentũ pertinent. Multa Academiis relinquenda, non ventilanda Pulpitis. Multa cum diſcrimine

Philip.

Pro M. Cœlio.

Voſſ.

S. Aug.

definiuntur, quæ ſine diſcrimine neſciuntur. Vultis planius de cauſa quid cogitem? præcluſit mihi os Authoritas: Amor Pacis non patietur reſerari.

Interim quis dabit Capiti meo Aquam, & Oculis meis fontem lachrymarum? Quis ſatis deplorare poteſt humanæ mentis cæcitatem? caliginem Intellectus? & per totam vitam noſtram in rebus tum agendis tum credendis fluctuationes, perturbationes, & impotentias?

Audivimus reviviſcere *Prædeſtinatos*, & quod magis eſt dolendum refloreſcere, quibus ipſa *de Aeterno Dei Decreto* atque *immutabili* perſuaſio prodigioſam intulit incuriam & ſecuritatem: Ita ut flagitia non obeſſe, bene-actæ vitæ Conſcientiam non prodeſſe ſtultè ac dementer prædicent. Audivimus *Godſcalci Scholam* reædificatam iri, & jam jam abundare Diſcipulis, qui quidem auſi ſunt

Abyſſum

Abyſſum illum Miſericordiæ divinæ ſua orgya dimetiri, & anguſtis humanæ præſumptionis terminis coercere. Audivimus etiam nonnullos tanquam ad commune incendium advolaſſe, ſed magno ſuo labore nil egiſſe aliud quàm (quod eſt in proverbio) *Clavum Clavo.*

Mihi quidem cum *Labieno videntur Omnes Cauſam ſuſcepiſſe antiquiorem memoria ſua, quæ Cauſa ante mortua eſt, quàm illi nati eſſent.* Sed (quod Beatus Job) lignum habet ſpem: Si præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & Rami ejus pullulant. Truncus ille mortuus, ſi tamen mortuus, novos indies emittit ſurculos. "Irridetur "(inquit S. Bernardus) ſimplicium "fides: eviſcerantur Arcana Dei: "quæſtiones de Altiſſimis rebus te"merariè ventilantur: inſultatur Pa"tribus, quòd eas ſopiendas potius "quâm ſolvendas cenſuerint. Ego autem

Orat. p C. Rabi

Ep. 188

autem in verbis S. Hieronimi, *Dignabor iſta neſcire.* Tu rationare, Ego mirabor. Tu diſputa, Ego credam.

Auguſt.

—*Quid æternis minorem*
Conſiliis animum fatigem?

Quod ſiquis aliter apud ſe ſtatuat, fruatur per me Opinione ſua. Imo tam *Alta* tam *Abdita* perſcrutanti per tot difficultates & præcipitia gradienti ſanum progreſſum, fælicem exitum comprecabor. Vos interim exoratos velim, *quamvis Velle parum eſt*, quare precor, deprecor, obteſtor, In calamitoſa hac combuſtione & incendiis, ne aſportetis, ne funditetis Oleum. Sed cum omni modeſtia, manſuetudine, & animi lenitate tolerate, Alii alios per Charitatem. Cogitate *Fratres* veſtros non *cupiditate* aliqua ſeu pravitate lapſos, ſed *Opinione* tantùm, eâque ſtultâ magis aliquando quàm improba. Quare *Voluntate* ſimul ſitis, quamvis *Sententiis*

diſper-

diſpertimini. Si fieri poteſt & quantum in vobis eſt *Cum omnibus hominibus Pacem habete.*

Vetus eſt apud Iudæos *Prophetia* vel (ſi vultis) Diverbium. *Elias corriget omnia difficilia & dubia.* Quod Ego Aenigma, Apoſtoli verbis ſic explico. *Modò ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & ex parte omnia agimus; poſtquam autem advenerit quod perfectum eſt, tunc, quod ex parte eſt, abolebitur.* Interim per Dominum Chriſtum, & ſi fieri poteſt, *Habeamus Pacem inter nos mutuò.*

Memini quid S. Bernardus, Nil prodeſt ſi nos contineat una *Domus*, & ſeparet *Voluntas* diverſa. Plus Deus diligit Vnitatem *Animi* quàm *Loci.* Ecce ſumus in Domo iſta multi Homines, diverſi Mores, diverſa Corda, diverſæ Animæ. Ita Ille Avertat Deus hanc peſtem, ne ipſis militibus ferociores inconſutilem Chriſti Tunicam. De modo benè vivendi ad ſor.

b. 4. cap. 2. nicam dilacerare, Imo quod *Irenæus* *Magnum & glorioſum Corpus Chriſti* conſcindere & dividere, & quantum in nobis eſt, interficere laboremus. Quodſi cui, inſtar Scurræ, Convicium pro deliciis fuerit (quamvis nemo aliis maledicere didicit qui prius ipſe non malè vixit) huic Ego *Sapere & Valere.*

Agite ut omnia quaſi diſperſos Flores in unum faſciculum colligemus. Tenetis quid Chriſtus Leguleio *S. Lucæ* 10. *Quid Scriptum eſt? quomodo legis? vade & tu fac ſimiliter.* Idem Ego pace Chriſti, pace veſtra in hoc Pacis negotio dicturus ſum. Quid Scriptum eſt? quomodo legitis? & vos etiam ſimiliter facitote. Notum eſt illud S. Auguſtini: *Summæ Religionis eſt imitari quem colis.* Intuemini itaque Salvatorem, & totum vitæ curſum intuemini. A *præſepi* ad *patibulum*, A faſciis ad Coronam

nam ſpineam: Ab ipſa Incarnatione ad Glorificationem, & omnia ſuaviter *Pacem* redolent, Omnia ad *Pacem* provocant.

Natus eſt *Emmanuel* Salvator noſter in auſpicato, *Pacis*, tempore, cum *Auguſtus* πολέμε πύλας ἔθυεγον.—— Plut.

——*Vacuum duellis.* Hor.

Janum Quirini Clauſit.

Angeli feciales denunciant *Pacem*, Gloria in Altiſſimis, Pax in Terra. Chriſtus *Legem Pacis* ſanxit: Diligatis invicem. Moriturus *Legavit Pacem*: *Pacem* relinquo vobis. Reſurgens Pacem pro Strena obtulit; *Pax vobis*. In veteri Teſtamento inſcribitur *Princeps Pacis*. In novo Author & *Deus Pacis*. Quare *Beati pacifici, Beati vos*.

Quod ſupereſt Patres & Fratres Valete, inſtauramini, voſmet conſolamini, *idem Sapite, Pacem habete*.

O

O Spes & Salus Iſraelis, O Deus Miſericordiarum immitte Gratiæ tuæ Radios in Corda noſtra, jacentes excita, languentes incita, Currentes dirige. Bonum Opus, tuum Opus in nobis perfice uſque ad Diem Jeſu Chriſti, cui &c.

FINIS.